



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Xanctonen. Episcopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

runt instituti, redditus ex ea in absentia non percipiant, sed tunc solum cum in ea fuerint residentes; cum secundum Trecent. Ecclesie consuetudines omnes in hoc consueverint esse pares. Statuerunt etiam ut cum singulis prebendis annexa sint vinea, ipsis suas, dum vixerint, possidentibus, vinea decedentium ad successores non transeant, sed proventus earum inter singulos dividantur. Cum igitur quod quisque juris in alterum statuit, ipse debeat uti eodem, & sapientis dicat auctoritas, *Patere legem quam tuleris*, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus antiquos Canonicos junioribus & juniores in perceptione fructuum tam prebendarum quam vinearum coequetis antiquis, secundum priorem consuetudinem usque ad tempus predictae institutionis servatam, vel secundum rationabilem institutionem deinceps observandam, illos per distractionem eccle. percellentes, si qui duxerint re-nitendum. Nullis literis &c. harum tenore &c. Quod si ambo &c. alter vestrum &c. Datum &c.

TRECEN. EPISCOPO.

Epist. 193.
Initia concordie confirmatio apostolica.

I vestris petentium &c. usque ad verbum assensu. Compositionem super abbacia Belliloci quoad vixeris ordinanda, inter te ex una parte & dilectos filios Alesum Abbatem Calmontensem, Robertum & Gervasium Canonicos Præmonstraten. nomine Abbatis & totius Conventus Præmonstraten. apud Ecclesiam Romanam agentes ex altera, per dilectum filium S. r. sanctæ Præcedis Presbyterum Cardinalem de mandato apostolico celebratam, sicut sine pravitate qualibet facta est, & ab utraque parte recepta, & in ejusdem Cardinalis authentico plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

XANCTONEN. EPISCOPO.

Epist. 194.
Vt Prior de Prato dilapidator deponatur.

Inter ea per quæ status Ecclesie vacillat, sepius est causa potior incuria, seu perniciose negligentia Prælatorum. Nam cum forte caput est languidum, est necesse quod membra languent: & infecta morbi contagia nec fomentum medendis capiunt, nec prius possunt de facili restitui sanitati.

Sanè dilecti filij pauperes Canonici de Prato apostolatu nostro significare curarunt, quod cum Petrus nunc Prior ipsorum olim in Grandimoten. Ecclesia sub religionis habitu per annos plurimos permanisset, arctam tandem devitans regulam, ad ollas carniū redire voluit, & oblitus voti quod fecerat, ad Canonicos se transtulit regulares, & in ipsa Ecclesia de Prato voluit eligi in Priorem. Cumque domus sibi dominium commissum jam esset à fratribus, debacchatur in gregem subditum, nec illorum bona distrahere pertimescit, sed solus fugiens fratrum mensam atque collegium, ab illorum quidem confortio se reddit sepius alienum. Unde quisque passim ad libitum impune potest excedere, & sic perit honestas ordinis, per quam locus olim floruerat, & vilescit quod carum omnibus religionis hospitalitatisque gratia præpollebat. Adjecerunt insuper quod cum domus bona deficerent, plures ibidem canonicare præsumpsit. Laicos etiam contra approbatam Ecclesie consuetudinem multos intrudere non expavit, sed quod ab eis fuerat elargitum non transfundit in usus fratrum egentium, sed malè acquisita juxta motum propriæ voluntatis expendit. Nolentes igitur ut arbor sterilis occupatam diutiùs terram detineat, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus de veritate predictorum inquirere non postponas, & si removeris ita esse, ipsum ab administratione Prioratus amoveas, & predictis Canonicis eligendi personam idoneam auctoritate nostra liberam tribuas facultatem; dictumque Priorem, ut ad claustrum predictum redeat, per censuram ecclesiasticam appellatione cessante compellas, & cum antiqua sit ipsius Ecclesie consuetudo, & approbata, ut in singulis officiis singulæ personæ ponantur, quæ ordinanda videris auctoritate nostra disponas. Nullis literis veritati & justitiæ præ. &c. Datum ut supra, 11. Idus Maij &c.

XANCTONEN. ET MAG.
P. Petragoricens. Archidiacon.

Inter ea ut supra usque ad verbum sanitati. Insinuantibus siquidem nobis dil. filiis monachis de Brantomio nostro fuit apostolatu declaratum, quod cum Abbati suo domus dominium &c. usque

Epist. 195.
Ejusdem tenore argumenti.